

385

faciunt, quod in Manichæis quondam taxavit Augustinus hæc illatione: DEUS fecit & tempora, & ideo antequam faceret tempora, non erant tempora: non ergo possumus dicere, fuisse aliquod tempus, quando DEUS nondum aliquid fecerat; quomodo enim erat tempus, quod DEUS non fecerat, cum omnium temporum ipse fabricator sit unus.

§. 3.

Omnipræsentiam non tantum negavit olim Aristoteles, ad inferiora descendere, resque omnes viliores etiam adire, divinam ratus haud decere Naturam, quin potius, more Regum Persiæ, magnâ pompâ aut Susis aut Ecbatanis commorantium, cælô se contineat: Sed & vestigia hujus legens Averrhoës puerilem antiquorum judicavit cogitationem, DEUM ubique esse, existimantium. Vorstius cum Socinianorum cohorte veretur, ne quicquam decedat perfectioni, si res quoque leves & conspurcatis attingat, aut si in re quâlibet etiam antrô scarabæi (uti rudit os impudens) substantialiter adsit, simplicissima DEI essentia, in angustum cogatur, adeoque è maximô fiat minimus. Quod & Crellius obvertit: *absurdum, inquit, est sentire, Essentiam divinam in quovis pulvisculô atque atomô latere totam, adeoque in locis spurcissimis non minus quam in augustô cælorum domiciliô extare, & porro obscœnissimis atque impurissimis actionibus planè mediam intervenire, & cum rebus intimè jungi, à quibus vel cogitatio abhorret.* Inanis sanè undiquaque & nugatoria collectio! In tuendô quidem magnô Aristotele toti sunt Conimbricenses, eò quod alibi mundo inesse DEUM statuat, Heraclitique approbet sententiam, qui casam ingressus furnariam, sedensque ad focum, alios tugurium intrare nolentes compellavit; Introite confidenter, ne huic quidem loco defunt Dii immortales: Verùm quicquid tandem sit, vel mente ac lingvâ titubasse Virum, è verbis superioribus satis claris oppidò patescit. Valeat interim Averrhoës cum persuasione suâ plus quam puerili. Anticyras autem naviget & Crellius & Vorstius, cerebrumque purgent helleborô, discantque;